

DOMINICA IN ALBIS.

In Octava Pasche. Duplex.

Ad Matutinum. Invitatorium.

Surrexit Dominus verè. Alleluia.

Psalmus. Venite, exultemus. 1.

Hymnus.

R Ex sempiternæ Coelitem,

Rerum Creator omnium,

Aequalis ante sæcula

Semper Parénti Filius.

Nascénte qui mundo Faber

Imaginem vultus tui

Tradens Adámo, nõbilem

Limo jugasti spiritum.

Cum livor & fraus dæmonis

Fœdasset humanum genus:

Tu carne amictus, perditam

Formam reformas Artifex.

Qui natus olim è Virgine,

Nunc è sepulchro nasceris,

Tuncque nos à mortuis

Jubes sepultos surgere.

Qui Pastor æternus gregem

Aquá lavas baptismatis;

Hæc est laværum mentium,

Hæc est sepulchrum criminum.

Nobis diu qui debita

Redemptor affixus cruci,

Nostræ dedisti prodigum

Prætiùm salutis sanguinem.

Ut sis perenne mentibus

Paschale Jesu gaudium,

A morte dira criminum

Vita renatos libera.

Deo Patri sit gloria,

Et Filio, qui à mortuis

Surrexit, ac Paraclito.

In sempiterna sæcula. Amen.

In primo Nocturno. Antiphona.

Alleluia. Lapis revolutus est, alle-

luia, ab ostio monumenti, alleluia,

alleluia.

Psalmi de Dominica, ut in Psal-

terio. 2. Qui dicuntur in quolibet

Nocturno sub una Antiphona.

Surrexit Dominus de sepulchro,

alleluia. R. Qui pro nobis pepéndit

in ligno, alleluia.

De Epistola beati Pauli Apóstoli
ad Colossenses.

Lectio i.

S I consurrexistis cum Christo:

quæ sursùm sunt querite, ubi

Christus est in dextera Dei sed-

dens: quæ sursùm sunt sapite, non

quæ super terram. Mortui enim estis,

& vita vestra est abscondita cum

Christo in Deo. Cum Christus appa-

ruerit, vita vestra: tunc & vos appa-

rebitis cum ipso in glória. Mortifi-

cate ergo membra vestra, quæ

sunt super terram: fornicationem,

immunditiam, libidinem, concu-

piscentiam malam, & avaritiam,

quæ est simulacrorum deivota:

propter quæ venit ira Dei super

filios incredulitatis: in quibus &

vos ambulastis aliquândo, cum vi-

veretis in illis.

R. Angelus Dõmini descendit de

coelo, & accedens revolvit lapidem,

& super eum sedit, & dixit mulie-

ribus: * Nolite timere: scio enim

quia crucifixum queritis: jam sur-

rexit: venite, & videte locum,

ubi positus erat Dõminus, alleluia.

V. Et introeuntes in monumentum,

viderunt juvenem sedentem in dex-

tris, coopertum stolâ candidâ, &

obstupuerunt: qui dixit illis. No-

lite timere.

Lectio ij.

Nunc autem depõnite & vos

omnia: iram, indignationem,

malitiam, blasphemiam, turpem ser-

mõnem de ore vestro. Nolite menti-

ri invicem, expoliantes vos veterem

hõminem cum actibus suis, & in-

duentes novum eum, qui renovat-

ur in agnitionem secundum imagi-

nem ejus, qui creavit illum: ubi

non est Gentilis, & Judæus, cir-

cuncisio, & præputium, Barba-

rus, & Scythia, servus & liber:

sed omnia, & in omnibus Christus.

Induite vos ergo sicut electi Dei,

sanc-

sancti, & dilecti, viscera misericordi-
æ, & benignitatem, humilitatem,
modestiam, patientiam: supportan-
tes invicem, & donantes vobismet-
ipsis si quis adversus aliquem habet
querelam: sicut & Dõminus donã-
vit & vos.R. Angelus Dõmini locutus est mu-
liëribus, dicens: Quem queritis?
An Jesum queritis? jam surrexit:
venite, & videte, alleluia, alle-
luia. V. Jesum queritis Nazarenum
crucifixum? surrexit, non est hic.
Venite.

Lectio iij.

S Uper omnia autem hæc, chari-
tatem habete, quod est vincu-
lum perfectiõnis: & pax Christi
exultat in cordibus vestris, in qua &
vocati estis in uno corpore: & grati
estote. Verbum Christi habitat in
vobis abundanter, in omni sapiëntia,
docentes, & commonentes vosmet-
ipsos, psalmis, hymnis, & canticis
spiritualibus, in gratia cantantes in
cordibus vestris Deo. Omne, quod-
cumque facitis in verbo aut in opere,
& omnia in nomine Dõmini Jesu
Christi, gratias agentes Deo & Pa-
tri pro ipso.R. Cum transisset sabbatum, Maria
Magdalene, & Maria Jacobi, & Sa-
lõmie emerunt aromata. * Ut veni-
entes ungerent Jesum, alleluia,
alleluia. V. Et valde manè unã
sabbatorum veniunt ad monumẽ-
tum, orto jam sole. Ut venientes
ungerent. Glõria Patri. Ut venien-
tes.

In secundo Nocturno, Antiphona.

Alleluia. Quem queris mulier?

alleluia, viventem cum mortuis?

alleluia, alleluia. Psalmus. Con-

serva me Dõmine, cum reliquis ut

in Psalterio. 8.

Surrexit Dominus verè, alle-

luia. R. Et apparuit Simõni, alle-

luia.

Sermo Sancti Augustini Episcopi.
Sermone 1. in Octava Pasche, quæ
est 157. de Tempore.

Lectio iv.

P Aschalis sollemnitas hodiernã
festivitatem concluditur, & ideo
hodiè Neophytorum habitus com-
mutatur: ita tamen, ut candor,
qui de habitu depõnitur, semper in
corde teneatur. In qua quidem pri-
mum nobis agendum est, ut à nobis
Paschales dies sunt, id est, indul-
gentiæ ac remissionis, ita à nobis
sanctorum dierum festivas agatur,
ut relaxatione corporum piritas non
obfuscetur: sed potius abstinẽtes
ab omni luxu, ebrietate, lascivia,
demus operam sobriæ remissioni,
ac sanctæ sinceritati: ut quiddam
modo corporali abstinentia non
acquirimus, mentium puritate qua-
ramus.

R. Maria Magdalene, & altera Ma-

ria ibant diliculate ad monumentum.

* Jesum quem queritis, non est

hic, surrexit sicut locutus est, præ-

cædet vos in Galileam, ibi eum vide-

bitis, alleluia, alleluia. V. Et val-

de manè unã sabbatorum veniunt

ad monumentum, orto jam sole:

& introeuntes viderunt juvenem

sedentem in dextris, qui dixit illis.

Jesum.

Lectio v.

A D omnes quidem pertinet ser-
mo, quos cura nostra complecti-
tur: verumtamen hodiè termina-
ta Sacramentorum sollemnitate, vos
alloquimur novella germina sancti-
tatis, regenerata ex aqua & Spiritu
sancto: quem gerens pium, exâmen no-
vellum, flos nostri honoris, & fructus
laboris, gaudium & coronâ mea,
omnes qui statis in Dõmino. Apos-
tolicis verbis vos alloquor: Ecce
nox præcessit, dies autem appropin-
quavit: abjicite opera tenebrarum,
& induite vos arma lucis. Sicut in

Gg 4 die

die honestè ambulèmus : non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitis, non in contentione & emulatione: sed induimini Dòminum Jesum Christum.
R. Surrexit pastor bonus, qui animam suam posuit pro ovibus suis, & pro grege suo morti dignatus est:
 Alleluia, alleluia, alleluia.
V. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Alleluia.

Lectio vij.

Habemus, inquit, certiorum propheticum sermonem, cui bene factis intendentes, tamquam lucernæ in obscuro loco, donec dies lucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Sint ergo lumbi vestri accincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: & vos similes hominibus expectantibus dñm suum, quando revertatur à nuptiis. Ecce dies adveniunt, in quibus Dòminus dicit: Pusillum, inquit, & non videbitis me: & iterum pusillum, & videbitis me. Hæc est hora, de qua dixit: Vos tristes eritis, sæculum autem gaudèbit, id est, vita ista tentationibus plena, in qua peregrinamur ab eo. Sed iterum, inquit, videbo vos, & gaudèbit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

R. Virtute magnâ reddèbant Apòtoli. **V.** Testimonium resurrectionis Jesu Christi Dòmini nostri, alleluia, alleluia. **V.** Replèti quidem Spiritu sancto loquebantur cum fiducia verbum Dei. Testimonium. Gloria Patri. Testimonium.

In tertio Nocturno, Antiphona, Alleluia, Noli flere Maria, alleluia, resurrexit Dòminus, alleluia, alleluia. Psalmus. Celi enarrant, cum reliquis ut in Psalterio. 11. **V.** Gavisus sunt discipuli, alleluia. **R.** Viso Dòmino, alleluia.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij.

Cap. 20. c.

In illo tempore: Cùm serò esset die illo, unâ sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum: venit Jesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorii Papæ.
 Homilia 26. in Evangelia.

Prima lectionis hujus Evangelicæ questio animum pulsat; quomodo post resurrectionem corpus Dòminicum verum fuit, quod clausis januis ad discipulos ingredi potuit? Sed sciendum nobis est, quod divina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet meritum. Sed hæc ipsa nostri Redemptoris opera, quæ ex semetipsis comprehendendi nequaquam possunt, ex alia eius operatione pensanda sunt; ut rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora. Illud enim corpus Dòmini intravit ad discipulos januis clausis, quod videlicet ad humanos oculos per nativitatem suam clauso exivit utero Virginis. Quid ergo mirum, si clausis januis post resurrectionem suam in æternum jam victurus intravit, qui mortuorum veniens, non apèro utero Virginis exivit.

R. De ore prædantis procedit mel, alleluia; dulcedo mellis est sub lingua ejus, alleluia: **V.** Favus distillans labia ejus, alleluia, alleluia. **V.** Sapièntia requiescit in corde ejus, & prædèntia in sermone oris illius. Favus distillans.

Lectio viij.

Sed quia ad illud corpus, quod videri poterat, fides intuentium dubitabat, ostendit eis pròtinus

ma-

manus & latus: palpandam carnem præbuit, quam clausis januis introduxit. Quia in re duo mira, & juxta humanam rationem sibi valde contraria ostendit: dum post resurrectionem suam corpus suum incorruptibile, & tamen palpabile demonstravit. Nam & corrumpi necesse est quod palpatur: & palpari non potest quod non corrumpitur. Sed miro modo atque inestimabili Redemptor noster & incorruptibile post resurrectionem, & palpabile corpus exhibuit, ut monstrando incorruptibile, invitaret ad præmium: & præbendo palpabile, firmaret ad fidem. Et incorruptibile se ergo & palpabile demonstravit: ut profectò esse post resurrectionem ostenderet corpus suum & ejusdem naturæ, & alterius gloriæ.

R. Surgens Jesus Dòminus noster, stans in medio discipulorum suorum, dixit: **V.** Pax vobis, alleluia: gavisus sunt discipuli viso Dòmino, alleluia. **V.** Unâ ergo sabbatorum, cùm fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati, venit Jesus, & stetit in medio eorum, & dixit eis. Pax vobis. Gloria Patri. Pax vobis.

Lectio ix.

Dixit eis: Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: id est, sicut misit me Pater Deus Deum, & ego mitto vos homo homines. Pater Filium misit, qui hunc pro redemptione generis humani incarnari constituit. Quem videlicet in mundum venire ad passionem voluit: sed tamen amavit Filium, quem ad passionem misit. Electos verò Apòstolos Dòminus non ad mundi gaudia, sed sicut ipse missus est, ad passiones in mundum mittit. Quia ergo & Filius amatur à Patre, & tamen ad passionem mittitur: ita & discipuli à Dò-

mino amantur, qui tamen ad passionem mittuntur in mundum. Itaque rectè dicitur: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: id est, eâ vos charitate diligo cùm inter scândala persecutorum mitto, quâ me charitate Pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit.

Te Deum laudâmus. 13.

A D L A U D E S,

Antiphona.

Alleluia, alleluia, alleluia, alleluia, alleluia, alleluia, alleluia, alleluia. Psalmus. Dòminus regnavit. Jubilâte. Deus Deus meus. 14. Antiph. Surrexit Christus de sepulchro, qui liberavit tres piores de camino ignis ardentis, alleluia. Canticum. Benedicite. 17. Antiphona. Alleluia, alleluia, alleluia. Psalmus. Laudate Dòminum de caelis. 16.

Capitulum.

1. Joann. 5.

Charissimi, Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum: & hæc est victoriâ, quæ vincit mundum, fides nostra.

Hymnus.

AUrora cælum purpurat,
 Æther resiliat laudibus,
 Mundus triumphans jubilat,
 Horrens avèrnis infremit.

Rex ille dum fortissimus

De mortis infèrno specu
 Patrum senatum liberum
 Educit ad vitæ jubar.

Cujus sepulchrum plurimo
 Custodè signabat lapis,
 Victor triumphat, & suo
 Mortem sepulchro funerat.

Sat fineri, sat lacrymis,
 Sat est datum dolòribus:
 Surrexit extingtor necis,
 Clamat coruscans Angelus.

Ut sis perenne mentibus
 Paschale Jesu gaudium,
 A morte dira criminum
 Vita renatos libera,

Deo

Deo Patri sit glória,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paráclito,
In sempiterna sæcula. Amen.
¶ In resurrectione tua Christe,
allelúia. ¶ Cæli & terra lætentur,
allelúia.

Ad Benedictus, Antiphona.

Cum esset serò die illà, unà sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati in unum, stetit Jesus in medio, & dixit eis: Pax vobis, allelúia.

Oratio.

Pæsta, quæsumus omnipotens Deus: ut qui Paschalia festa perëgimus; hæc, te largiente, moribus & vitâ teneamus. Per Dóminum nostrum.

Ad Primam, Hymn. Jam lucis. 18. Aña. Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia. Psalmi. Deus in nómine tuo saluum. 18. Beati immaculati, Retribue, & Quicumque. 20.

Prædicti Psalmi dicuntur in Dominicis diebus usque ad Ascensionem.

Capitulum. Regi sæculorum. 22. **R.** br. Christe Fili Dei vivi, miserere nobis, * Allelúia, allelúia. **C.** Qui surrexisti à mortuis, Allelúia, allelúia. Glória Patri. **C.** Exurge Christe, adjuva nos, allelúia. **R.** Et libera nos propter nomen tuum, allelúia.

Et sic dicitur Responsorium breve usque ad Ascensionem.

Et quando non est Duplex, aut infra Octavas, dicuntur Preces de Dominica, ut in Psalterio. 24.

Ad Absolutionem Capituli, Lectio brevis. Si consurrexistis cum Christo, ut in Psalterio. 24.

Ad Tertiam, & alias Horas, Antiphona. Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia. Capitulum. Charissimi, Omne quod, ut supra. 473.

R. breve. Surrexit Dóminus de sepulchro, * Allelúia, allelúia. Sur-

rexit. ¶ Qui pro nobis pepéndit in ligno. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Surrexit. ¶ Surrexit Dóminus verè, allelúia. **R.** Et apparuit Simóni, allelúia.

Ad sextam, Capitulum.

1. Joann. 5.

Quis est autem qui vincit mundum, nisi qui credit quóniam Jesus est Filius Dei? hic est, qui venit per aquam & sanguinem, Jesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua & sanguine.

R. breve. Surrexit Dóminus verè, * Allelúia, allelúia. Surrexit. ¶ Et apparuit Simóni, Allelúia, allelúia. Glória Patri. Surrexit. ¶ Gavisi sunt discipuli, allelúia. **R.** Viso Dómino, allelúia.

Ad Nonam, Capitulum.

1. Joann. 5. b

Si testimonium hóminum accipimus, testimonium Dei majus est: quóniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quóniam testificatus est de Filio suo. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se.

R. br. Gavisi sunt discipuli, * Allelúia, allelúia. Gavisi. ¶ Viso Dómino, Allelúia, allelúia. Glória Patri. Gavisi. ¶ Mane nobiscum Dómine, allelúia. **R.** Quóniam advesperáscit, allelúia.

Ad Vesperas, Antiphona. Allelúia, allelúia, allelúia. Psalm. Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica. 100. Qui sub una tantum Antiphona dicuntur.

Capitulum. Charissimi, Omne quod natum. Hymnus. Ad régias Agni, ut supra in Vesperis Sabbati. 469. ¶ Mane nobiscum Dómine, allelúia. **R.** Quóniam advesperáscit, allelúia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Post dies octo, jánuis clausis ingressus Dóminus, dixit eis: Pax vobis

bis, allelúia, allelúia. Oratio. Præstabis, quæsumus, ut supra. 474.

Hymni, Versiculi, & **R.** brevia hujus Dominicæ dicuntur usque ad Ascensionem, etiam in feriati Officio.

FERIA SECUNDA.

Invitorium. Allelúia, allelúia, * Allelúia. Psalmus. Venite, exultémus. 1. Hymnus. Rex sempiternæ. 470. Antiphona. Allelúia. Psalmus. Dóminus illuminatio, cum reliquis de secunda Feria, ut in Psalterio. 39.

Psalmi Ferales Nocturnorum & Vesperarum dicuntur sub prima Antiphona. Allelúia usque ad Ascensionem. ¶ Surrexit Dóminus de sepulchro, allelúia. **R.** Qui pro nobis pepéndit in ligno, allelúia. Incipit liber Actuum Apostolorum.

Lectio j. Cap. 1.

Primus quidem sermónem feci de omnibus ó Theophile, quæ cepit Jesus facere, & docere usque in diem, quæ præcipiens Apóstolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est: quibus & præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta appárens eis, & loquens de regno Dei, & convésens, præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum: quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. Igitur qui convenerant, interrogabant eum, dicéntes: Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël? Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater pòsuit in sua potestate: sed accipiétis virtutem superveniéntis Spiritus sancti in vos, & éritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.

R. Virtute magna reddébant Apóstoli, * Testimonium resurrectionis Jesu Christi Dómini nostri, allelúia, allelúia. ¶ Repléti quidem Spiritu sancto loquebantur cum fiducia verbum Dei. Testimonium.

Lectio ij.

Et cum hæc dixisset, vidéntibus illis elevátus est: & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cúmque intueréntur in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in véstibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum? hic Jesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Tunc reversi sunt Jerosolymam à monte, qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, sabbati habens iter. Et cum introissent in cenaculum, ascenderunt ubi manébant Petrus, & Joannes, Jacobus, & Andréas, Philippus, & Thomas, Bartholomæus, & Mattheus, Jacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Judas Jacobi, hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Jesu, & fratribus ejus.

R. De ore prudéntis procédit mel, allelúia: dulcedo mellis est sub lingua ejus, allelúia: * Favus distillans lábia ejus, allelúia, allelúia. ¶ Sapientia requiescit in corde ejus, & prudentia in sermone oris illius, Favus distillans. Glória Patri.

Lectio iij.

In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit: (erat autem turba hóminum simul, fere centum viginti) Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os Davud de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum: qui con-

numeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerii huius. Et hic quidem possedit agrum de megedone iniquitatis, & suspensus crepuit medius: & diffusa sunt omnia viscera eius. Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldama, hoc est, ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commemoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea: & episcopatum ejus accipiat alter. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens à baptismo Joannis usque in diem, quia assumptus est à nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. Et statuérunt duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus: & Mathiam. Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum accipere locum ministerii huius, & Apostolatús, de quo pravaricatus est Judas ut abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Mathiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis.

Hoc tempore Paschali non dicitur tertium Responsorium in feriali Officio, sed Hymnus Te Deum laudamus, 13.

Ad Laudes, Antiphona. Alleluia. Psalmus. Dominus regnavit, cum reliquis Antiphonis & Psalmis de Psalterio, ut in Dominica, 14.

Capitulum. Rom. 6. b
Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Hymnus. Auróra celum purpurat. V. In resurrectione tua, 473.

Ad Benedictus, Antiphona. Surgens Jesus mane primá sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalænæ, de qua egerat septem demonia, alleluia.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnipotens Deus: ut qui Paschalia festa perégimus; hæc, te largiente, moribus & vitâ teneamus. Per Dóminum.

Posteà fit Commemoratio de Cruce, quæ Commemoratio quotidie fit in Laudibus & Vesperis usque ad Ascensionem, tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis, nisi sit Duplex, aut infra Octavas. Aliæ Commemoraciones de S. Maria, de Apostolis, & de Pace, non dicuntur tempore Paschali.

In Laudibus An̄a. de Cruce. Crucifixus surrexit à mortuis, & redemit nos, alleluia, alleluia. V. Dicite in nationibus, alleluia. R. Quia Dominus regnavit à ligno, alleluia.

Oratio.

Deus, qui pro nobis Filium tuum crucis patibulum subire voluisti, ut inimici à nobis expelleres potestatem: concede nobis famulis tuis, ut resurrectionis gratiam consequamur. Per eundem Dóminum nostrum.

In Vesperis, An̄a. Crucem sanctam subit, qui infernum confrégit, accinctus est potentia, surrexit die tertia, alleluia. V. & Oratio, ut supra.

In Feriali Officio, Prima dicitur sicut in Festis Simplicibus, toto tempore Paschali.

Psalmi Horarum dicuntur cum quatuor Alleluia. Capitulum Regi sæculorum immortalí. Preces de Dominica, ut in Psalterio, 22.

Ad Tertiam, Capitulum. Christus resurgens ex mortuis, ut supra. R. breve. Surrexit Dominus de sepulchro, Alleluia, alleluia. Surrexit. V. Qui pro nobis pepéndit in ligno. Alleluia, alleluia. Glória Pa-

Patri. Surrexit. V. Surrexit Dominus verè, alleluia. R. Et apparuit Simóni, alleluia.

Ad Sextam, Capitulum.

1. Cor. 15. c

Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.

R. breve. Surrexit Dominus verè, Alleluia, alleluia. Surrexit. V. Et apparuit Simóni. Alleluia, alleluia. Glória Patri. Surrexit. V. Gavisus sunt discipuli, alleluia. R. Viso Domino, alleluia.

Ad Nonam, Capitulum. 1. Petri 3. d

Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.

R. breve. Gavisus sunt discipuli, Alleluia, alleluia. Gavisus. V. Viso Domino. Alleluia, alleluia. Glória Patri. Gavisus. V. Mane nobiscum Domine, alleluia. R. Quoniam advesperascit, alleluia.

Ad Vesperas, An̄a. Alleluia. Psalmus. Diléxi, cum reliquis de Psalterio, 103, sub una An̄a. Alleluia. Capitulum. Rom. 6. b

Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Hymnus. Ad régias Agni dapes. V. Mane nobiscum, ut supra, 469.

Ad Magnificat, Antiphona.

Pax vobis, ego sum, alleluia, nolite timere, alleluia.

Invitatorium, Capitula, & Responsorialia brevia superscripta dicuntur in feriali Officio usque ad Ascensionem.

FERIA TERTIA.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap. 2.

ET cum compleretur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus est repente de caelo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispersitæ lingue tamquam ignis, sedentes supra singulos eorum: & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi ex omni natione, quæ sub caelo est. Facta autem hac voce, convenit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque linguam suam illos loquentes. Stupébant autem omnes, & mirabántur, dicentes: Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt, & quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? R. Ecce vice leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, & solvere septem signacula ejus. V. Alleluia, alleluia, alleluia. V. Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Alleluia, alleluia, alleluia.

Lectio ij.

Sans autem Petrus cum undecim, levavit vocem suam, & locutus est eis: Viri Judæi, & qui habitatis Jerusalem universi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea. Non enim, sicut vos estimatis, illi ebrui sunt, cum sit hora diei tertia: sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Joel: Et erit in novissimis diebus, (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo super omnem carnem: & propheta-

bunt filii vestri, & filie vestrae, & iuvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somnabunt. Et quidem super servos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt: & dabo prodigia in caelo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & manifestus. Et erit: omnis, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.

R. Ego sum vitis vera, & vos palmites: * Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, alleluia, alleluia. **V.** Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Qui manet. Gloria Patri. Qui manet.

Lectio iij.

Viri Israëlitæ, audite verba hæc: Jesum Nazarenum, virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis: hunc definito consilio, & prescientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentis interemistis: quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. David enim dicit in eum: Providēbam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi, ne commovear: Propter hoc lætatum est cor meum, & extulit lingua mea, & insuper & caro mea requiescet in spe: Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

Te Deum laudamus. 13.

Ad Benedictus, Antiphona.

Præcedam vos in Galilæam, ibi me videbitis, sicut dixi vobis, alleluia, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Mitte manum tuam, & cognosce loca clavorum alleluia: & noli esse incredulus, sed fidelis, alleluia.

FERIA QUARTA.

De Actibus Apostolorum.

Lectio i. Cap. 3.

Petrus autem, & Joannes ascenderant in templum ad horam orationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, habebatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. Is cum vidisset Petrum, & Joannem incipientes introire in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Joanne, dixit: Respice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jesu Christi Nazareni surge, & ambula.

R. Surgens Jesus Dominus noster, stans in medio discipulorum suorum, dixit: * Pax vobis, alleluia: gavisi sunt discipuli viso Domino, alleluia. **V.** Una ergo sabbatorum, cum fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati, venit Jesus, & stetit in medio eorum, & dixit eis. Pax vobis.

Lectio ij.

ET apprehensa manu ejus dextra, allevavit eum, & protinus consolidatae sunt bases ejus, & plantæ. Et exiliens stetit, & ambulabat: & intravit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum. Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum. Cognoscebant autem illum, quod ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad speciosam portam templi: & impleri sunt stupore & extasi in eo, quod confingerat illi. Cum teneret

au-

autem Petrum, & Joannem, cucurrit: omnis populus ad eos ad porticum, quæ appellatur Salomonis, stupentes. **R.** Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio: etenim Pascha nostrum immolatus est Christus: * Itaque epulemur in Domino, alleluia. **V.** Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. Itaque. Gloria Patri. Itaque.

Lectio iij.

Videns autem Petrus, respondit ad populum: Viri Israëlitæ quid miramini in hoc, aut nos quid intuimini, quasi nostram virtutem aut potestatem fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Vos autem sanctum, & justum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis auctorem verò vite interfecistis, quem Deus suscitavit à mortuis, cujus nos testes sumus. Et in fide nominis ejus, hunc, quem vos vidistis, & nostis, confirmavit nomen ejus: & fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.

Te Deum laudamus. 13.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ego sum vitis vera, alleluia: & vos palmites veri, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Quia vidisti me, Thoma, credidisti: Beati qui non viderunt, & crediderunt, alleluia.

FERIA QUINTA.

De Actibus Apostolorum.

Lectio i. Cap. 5.

Vir autem quidam nomine Ananias, cum Saphira uxore sua, vendidit agrum, & fraudavit de pretio agri, conscia uxore sua,

& afferens partem quandam, ad pedes Apostolorum posuit. Dixit autem Petrus: Anania, cur temptasti satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venditatum in tua erat potestate? Quare possuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expiravit. Et factus est timor magnus super omnes, qui audierunt. Surgentes autem juvenes amoverunt eum, & efferentes sepelierunt.

R. Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur: quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel.

* Quod autem vivit, vivit Deo, alleluia, alleluia. **V.** Mortuus est semel propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. Quod.

Lectio iij.

Factum est autem quasi horarum trium spatium, & uxor ipsius, nesciens quod factum fuerat, introiit. Dixit autem ei Petrus: Dic mihi mulier, si tanti agrum vendidisti? At illa dixit: Etiam tanti. Petrus autem ad eam: Quid utique convenit nobis tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum ad ostium, & efferent te. Confestim cecidit ante pedes ejus, & expiravit. Intranctus autem juvenes, invenērunt illam mortuam: & extulerunt, & sepelierunt ad virum suum. Et factus est timor magnus in universa ecclesia, & in omnes, qui audierunt hæc.

R. Surrexit pastor bonus, qui animam suam posuit pro ovibus suis, & pro grege suo mori dignatus est: * Alleluia, alleluia.

V. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Alleluia. Gloria Patri. Alleluia.

Lect-

Lectio ij.

Per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in plebe. Et erant unanimes omnes in porticu Salomonis. Ceterorum autem nemo audebat se coniungere illis: sed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum, ita ut in plateis egerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. Concurrēbat autem & multitudo vicinārum civitatum Jerusalem, afferentes ægros, & vexatos à spiritibus immundis: qui curabāntur omnes.

Te Deum laudamus. 13.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ardens est cor meum, desidero videre Dominum meum, quæro, & non invenio ubi posuerunt eum, alleluia, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Misi digitum meum in fixuras clavorum, & manum meam in latus ejus, & dixi: Dominus meus, & Deus meus, alleluia.

FERIA SEXTA.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j.

Cap. 8. b.

Vir autem quidam nomine Simon, qui ante fuerat in civitate magus, seducens gentes Samariae, dicens, se esse aliquem magnum: cui auscultabant omnes à minimo usque ad maximum, dicentes: Hic est virtus Dei, qui vocatur magna. Attendebant autem eum: propter quod multo tempore magiis suis demerasset eos. Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres. Tunc Simon & ipse credidit: & cum baptizatus es-

set, adherēbat Philippo. Videns etiam signa, & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.

Virtute magna reddebant Apostoli, & Testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri, alleluia, alleluia. **V** Repleti quidem Spiritu sancto loquebantur cum fiducia verbum Dei. Testimonium.

Lectio ij.

Cum autem audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum: Non enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponēbant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Cum vidisset autem Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc potestatem, ut cumque imposero manus, accipiat Spiritum sanctum.

R. De ore prudentis procedit mel, alleluia: dulcedo mellis est sub lingua ejus, alleluia. **V.** Favus distillans labia ejus, alleluia, alleluia. **V.** Sapientia requiescit in corde ejus, & prudentia in sermone oris illius. Favus. Gloria Patri. Favus.

Lectio iij.

Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto: cor enim tuum non est rectum coram Deo. Penitentiam itaque age ab hac nequitia tua: & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse. Respondens autem Simon, dixit: Pre-

Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum, quæ dixistis.

Te Deum laudamus. 13.

Ad Benedictus, Antiphona.

Venerunt ad monumentum Mariae Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum, alleluia.

Ad Vesperas, nisi occurrat Festivalium novem Lectionum, à Capitulo fit de S. Maria, cxxix.

SABBATO.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j.

Cap. 10.

Vir autem quidam erat in Caesarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Italicæ, religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, faciens elemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper: is vidit in visu manifeste, quasi hora diei nona, Angelum Dei introitum ad se, & dicentem sibi, Corneli. At ille intuens eum, timore correptus, dixit: Quid est, Domine? Dixit autem illi: Orationes tuæ & elemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Et nunc mitte viros in Joppen, & accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus: hic hospitatur apud Simonem quemdam coriariū, cujus est domus juxta mare: hic dicet tibi quid te oporteat facere. Et cum discessisset Angelus, qui loquebatur illi, vocavit duos domesticos suos, & militem metuentem Dominum ex his, qui illi parabant. Quibus cum narasset omnia, misit illos in Joppen.

Lectio ij.

Posterà autem die iter illis facientibus, & appropinquantibus civitati, ascendit Petrus in superiora ut oraret circa horam sextam. Et cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis

Pars Hyemalis.

excensus: & vidit caelum apertum, & descēdens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initibus submitti de caelo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentina terræ, & volatilia caeli. Et facta est vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca. Ait autem Petrus: Absit Domine, quia numquam manducavi omne commune, & immundum. Et vox iterum secundo ad eum: Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris. Hoc autem factum est per ter: & statim receptum est vas in caelum. Et dum intra se hasitaret Petrus quidnam esset visio, quam vidisset: ecce viri, qui missi erant à Cornelio, inquirentes domum Simonis, astiterunt ad januam.

Lectio iij.

Aperiens autem Petrus os suum, dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum: (hic est omnium Dominus.) Vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam: incipiens enim à Galilea post baptismum, quod praedicavit Joannes, Jesum à Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute, qui pertransiit beneficiendo, & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Judæorum, & Jerusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitavit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus praedictis à Deo: nobis, qui manducavimus, & bibimus cum illo postquam resurrexit à mortuis.

Ad Vesperas, Antiphona. Alleluia.

Psalm. Benedictus, cum reliq. 115.

Hh

Ca.

Capitulum.
Charissimi, Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus: qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.

Hymnus.

Ad régias agni dapes
 Stolis amici candidis
 Post transitum Maris rubri
 Christo canamus Principi.
 Divina cujus charitas
 Sacrum propinat sanguinem,
 Almique membra corporis
 Amor sacerdos immolat.
 Sparsum cruorem postibus
 Vastator horret Angelus:
 Fugitque divisum mare,
 Merguntur hostes fluctibus.
 Jam Pascha nostrum Christus est,
 Paschalis idem victima,
 Et pura puris mentibus
 Sinceritatis azyrna.

O vera caeli victima,
 Subiecta cui sunt tartara,
 Soluta mortis vincula,
 Recépta vita praemia!
 Victor subactis inferis
 Trophaea Christus explicat,
 Coeloque aperto, subditum
 Regem tenebrarum trahit.

Ut sis perenne mentibus
 Paschale Jesu gaudium,
 A morte dira criminum
 Vita renatos libera.

Deo Patri sit gloria,
 Et Filio, qui à mortuis
 Surrexit, ac Paraclito,
 In sempiterna saecula.
 Amen.

V. Mane nobiscum Domine, alleluia. **R.** Quoniam advesperascit, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.
 Ego sum pastor ovium, ego sum via, veritas, & vita: ego sum pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscent me meae, alleluia.

1. Petri 2. 2.

Deus, qui in Filii tui humilitate jacentem mundum crexisti: fidei tuis perpetuum concede letitiam; ut quos perpetuae mortis eripuisti casibus, gaudiis facias perfrui sempiternis. Per eundem Dominum.

Deinde fit Commem. de Cruce, Antiphona. Crucem sanctam suble qui infernum confrégit, accinctus est potentia, surrexit die tertia, alleluia. **V.** Dicite in nationibus, alleluia. **R.** Quia Dominus regnavit à ligno, alleluia.

Oratio.
Deus, qui pro nobis Filium tuum crucis patibulum subire voluisti, ut inimici à nobis expelleres potestatem: concede nobis famulis tuis; ut resurrectionis gratiam consequamur. Per eundem Dominum.

DOMINICA II.**Post Pascha.**

Ad Matutinum, Invitatorium.
 Surrexit Dominus verè, Alleluia.
Psalmus. Venite, exultemus. 1.

Hymnus.

Rex sempiternae Coelitem,
 Rerum Creator omnium,
 Aequalis ante saecula
 Semper Parenti Filius.
 Nascente qui mundo Faber
 Imaginem vultus tui
 Tradens Adamo, nobilem
 Limo jugasti spiritum.

Cum livor & fraus daemonis
 Foedasset humanum genus:
 Tu carne amictus, perditam
 Formam reformas Artifex.

Qui natus olim è Virgine,
 Nunc è sepulchro nasceris,
 Tecumque nos à mortuis
 Jubes sepultos surgere.

Qui Pastor aeternus gregem
 Aquà lavas baptismatis:
 Haec est lavacrum mentium.
 Haec est sepulchrum criminum.

Nobis diu qui debita
 Redemptor affixus cruci,

Nos-

Lectio ij.

Nostrae dedisti prodigum
 Pretium salutis sanguinem.

Ut sis perenne mentibus
 Paschale Jesu gaudium,
 A morte dira criminum
 Vita renatos libera.

Deo Patri sit gloria,
 Et Filio, qui à mortuis
 Surrexit, ac Paraclito,
 In sempiterna saecula. Amen.

In primo Nocturno, Antiphona.
 Alleluia, & Psalmi de Dominica, ut
 in Psalterio. **2.** Qui dicuntur in
 quolibet Nocturno sub una Antiphona.
De Actibus Apostolorum.

Lectio j.**Cap. 13. b.**

Cum à Papho navigassent Paulus, & qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliae. Joannes autem discedens ab eis, reversus est Jerosolyman. Illi verò pertranscuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidia: & ingressi synagogam die sabbatorum, sederunt. Post lectionem autem Legis, & Prophetarum, miserunt principes synagogae ad eos, dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem dicite. Surgens autem Paulus, & manu silentium indicens, ait: Viri Israelitae, & qui timetis Deum, audite: Deus plebis Israel elegit patres nostros, & plebem exaltavit cum essent incolae in terra Aegypti, & in brachio excelso eduxit eos ea, & per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto. Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum, quasi post quadragesimos & quinquaginta annos: & post haec dedit iudices, usque ad Samuelem Prophetam.

R. Virtute magna reddebant Apostoli, & Testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri, alleluia, alleluia. **V.** Repleti quidem Spiritu sancto loquebantur cum fiducia verbum Dei. Testimonium.

ET extendit postulaverunt regem: & dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de tribu Benjamin, annis quadraginta: Et amoto illo, suscitavit illis David regem: cui testimonium perhibens, dixit: Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Hujus Deus ex semine secundum promissionem eduxit Israel salvatorem Jesum, predicante Joanne ante faciem adventus ejus baptismum poenitentiae omni populo Israel. Cum impleret autem Joannes cursum suum, dicebat: Quem me arbitramini esse, non sum ego, sed ecce venit post me, cujus non sum dignus calcareum pedum solvere.

R. De ore prudentis procedit mel, alleluia: dulcedo mellis est sub lingua ejus, alleluia: * Favus distillans labia ejus, alleluia, alleluia.

V. Sapientia requisicit in corde ejus, & prudentia in sermone oris illius. Favus.

Lectio iij.

Viri fratres, filii generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis hujus missum est. Qui enim habitabant Jerosalem, & principes ejus hunc ignorantes, & voces prophetarum, quae per omne sabbatum leguntur, judicantes impleverunt, & nullam causam mortis inventientes in eo, petierunt à Pilato, ut interficerent eum. Cumque consummassent omnia, quae de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. Deus verò suscitavit eum à mortuis tertio die: qui visus est per dies multos his, qui simul ascenderant cum eo de Galilaea in Jerusalem: qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem. Et nos vobis annuntiamus eam, quae ad patres nostros reprobis facta est: quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum, sicut & in

Hh 2

Psal-

Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

R. Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, & solvere septem signacula ejus, **• Alleluia, alleluia, alleluia.** **V.** Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Alleluia, alleluia, alleluia. Gloria Patri. Alleluia, alleluia, alleluia.

In secundo Nocturno, Antiphona. Alleluia. **Psalmus.** Conserva, cum reliquis ut in Psalterio, 8.

Sermo Sancti Leonis Papae.
Serm. 1. de Ascensione Domini, post init.

Lectio iv.

Hic dies, dilectissimi, qui Inter resurrectionem Domini, qui Ascensionemque fluxerunt, non otioso transiere decursu, sed magna in eis confirmata sacramenta, magna sunt revelata mysteria. In iis metus dira mortis aufertur: & non solum animae, sed etiam carnis immortalitas declaratur. In iis per insufflationem Domini infunditur Apostolis omnibus Spiritus sanctus: & beato Apostolo Petro supra ceteros, post regni clavos, ovis Domini cura mandat. **R.** Ego sum vitis vera, & vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, alleluia, alleluia. **V.** Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Qui. **Lectio v.**

In iis diebus, duobus discipulisterius in via Dominus comes iungitur: & ad omnem nostrae ambiguitatis caliginem detergendam, paventium ac trepidantium tarditas increpatur. Flammam fidei illuminata corda concipiunt: & quae erant tepida, reserante Scripturas Domino, efficiuntur ardentia. In fractione quoque panis, convalescentium aperientur obtutus: multo felicibus eorum oculis patefactis, quibus naturae suae manifesta-

ta est glorificatio, quam illorum generis nostri Principum, quibus praerogationis suae est ingesta confusio. **R.** Surgens Jesus Dominus noster, stans in medio discipulorum suorum, dixit: **• Pax vobis, alleluia, gavisus sunt discipuli viso Domino, alleluia.** **V.** Una ergo sabbatorum, cum fores essent clausae, ubi erant discipuli congregati, venit Jesus, & stetit in medio eorum, & dixit eis. Pax vobis.

Lectio vi.

Inter haec autem aliaque miracula, cum discipuli trepidis cogitationibus aestuarent, & apparuisset in medio eorum Dominus, dixissetque Pax vobis: ne hoc remaneret in eorum opinionibus, quod volebatur in cordibus (putabant enim se spiritum videre, non carnem) redarguit cogitationes a veritate discordes: ingerit dubitantium oculis manentia in manibus suis & pedibus crucis signa; & ut diligentius pertractetur, invitat. Quia ad sananda infidelium cordium vulnera, clavorum & lanceae erant servata vestigia: ut non dubia fide, sed constantissima scientia teneretur, eam naturam in Dei Patris consensuram throno, quae jacuerat in sepulchro. **R.** Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio: etenim Pascha nostrum immolatus est Christus: **• Itaque epulemur in Domino, alleluia.** **V.** Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. Itaque. Gloria Patri. Itaque.

In tertio Nocturno, Antiphona. Alleluia. **Psalmus.** Caeli enarrant, cum reliquis ut in Psalterio, 11.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Cap. 10. b.

In illo tempore: Dixit Jesus Pharisaeis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Et reliqua.

Ho-

Homilia Sancti Gregorii Papae.

Homilia 14. in Evangelia.

Audistis, fratres charissimi, ex lectione Evangelica eruditionem vestram: audistis & periculum nostrum. Ecce enim is, qui non ex accidenti dono, sed essentialiter bonus est, dicit: Ego sum pastor bonus. Atque ejusdem bonitatis formam, quam nos imitemur, adiungit, dicens: Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis. Fecit quod monuit, ostendit quod iussit. Bonus pastor pro ovibus suis animam suam posuit, ut in sacramento nostro corpus suum, & sanguinem verteret, & oves, quas redemerat, carnis suae alimento satiaret. **R.** Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur: quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: **• Quod autem vivit, vivit Deo, alleluia, alleluia.** **V.** Mortuus est semel propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. **Quod.**

Lectio viii.

Qstens nobis est de contemptu mortis via, quam sequamur: apposita est forma, cui imprimamur. Primum nobis est, exteriora nostra misericorditer ovibus ejus impendere: postremum vero, si necesse sit, etiam mortem nostram pro eisdem ovibus ministrare. A primo autem hoc minimo pervenitur ad postremum majus. Sed cum incomparabiliter longe sit melior anima qua vivimus, quam terrena substantia quam exterius possidemus: qui non dat pro ovibus substantiam suam, quando pro his daturus est animam suam? **R.** Surrexit pastor bonus, qui animam suam posuit pro ovibus suis, & pro grege suo mori dignatus est: **• Alleluia, alleluia, alleluia.** **V.** Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Alleluia. Gloria Patri. Alleluia.

Lectio ix.

ET sunt nonnulli qui dum plus terrenam substantiam, quam oves diligunt, merito nomen pastorem perdidit, de quibus protinus subditur: Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit. Non pastor, sed mercenarius vocatur qui non pro amore intimo oves Dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est, qui locum quidem pastorem tenet, sed lucra animarum non querit: terrenis commodis inhiat, honore praelationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensa sibi ab hominibus reverentia letatur.

Te Deum laudamus. 13.

Ad Laudes, Antiphona. Alleluia. **Psalm.** Dominus regnavit, cum reliquis **Antis & Psalmis de Psalt. 14.**

Capitulum.

1. Petri 2. d.

Charissimi, Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus: qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.

Hymnus.

Aurora caelum purpurat, Aether resultat laudibus, Mundus triumphans jubilat, Horrens avernus infremat. Rex ille dum fortissimus De mortis inferno specu Patrum senatum liberum Educit ad vitae jubar. Cujus sepulchrum plurimo Custode signabat lapis, Victor triumphat, & suo Mortem sepulchro funerat. Sat fineri, sat lacrymis, Sat est datum doloribus: Surrexit extinctor necis, Clamat coruscans Angelus. Ut sis perenne mentibus Paschale Jesu gaudium,

Hh 3

A

A morte dirā criminum
Vita renasos libera.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paráclito,
In sempiterna secula. Amen.
V. In resurrectione tua Christe,
alleluia. R. Cœli & terra latentur,
alleluia.

Ad Benedicſus, Antiphona.

Ego sum pastor ovium: ego sum
via, veritas, & vita: ego sum pas-
tor bonus, & cognosco oves meas,
& cognoscunt me meæ, alleluia,
alleluia.

Oratio.

Deus, qui in Filii tui humilitate
jacentem mundum erexisti: fi-
delibus tuis perpetuam concede laci-
tiam; ut quos perpetuæ mortis æri-
puiſti casibus, gaudiis facias perfrui
sempiternis. Per eundem Dominum.

Commemoratio de Cruce, Antiphona.
Crucifixus surrexit a mortuis, & re-
demit nos, alleluia, alleluia. V. Di-
cite in nationibus, alleluia. R. Quia
Dominus regnavit a ligno, alleluia.

Oratio.

Deus, qui pro nobis Filium
tuum crucis patibulum subire
voluisti, ut inimici a nobis expelle-
res potestatem: concede nobis famu-
lis tuis; ut resurrectionis gratiam con-
sequamur. Per eundem Dominum.

Ad Tertiam, Capitulum. Charis-
simi, Christus passus est. 485.
R. breve. Surrexit Dominus de sep-
ulchro. * Alleluia, alleluia. Sur-
rexit. V. Qui pro nobis pependit
in ligno. Alleluia, alleluia. Gloria
Patri. Surrexit. V. Surrexit Domi-
nus verè, alleluia. R. Et apparuit
Simóni, alleluia.

Ad Sextam, Capitulum.

1. Petri 2. d.

Tradēbat autem judicanti se in-
justè: qui peccata nostra ipse
pertulit in corpore suo super lignum:

ut peccatis mortui, justitiæ vivā-
mus: cujus livore sanati sumus.

R. breve. Surrexit Dominus verè,
* Alleluia, alleluia. Surrexit. V. Et
apparuit Simóni. Alleluia, alleluia.
Gloria Patri. Surrexit. V. Gavisus
sunt discipuli, alleluia. R. Viso Dó-
mino, alleluia.

Ad Nonam, Capitulum.

1. Petri 2. d.

ERatis enim sicut oves errantes,
sed conversi estis nunc ad
pastorem, & episcopum animarum
vestrarum.

R. br. Gavisus sunt discipuli. V. Alle-
luia, alleluia. Gavisus. V. Viso Dó-
mino. Alleluia, alleluia. Gloria Pa-
tri. Gavisus. V. Mane nobiscum Dó-
mine, alleluia. R. Quoniam adves-
perascit, alleluia.

Ad Vesperas, Antiphona. Alleluia.
Psalm. Dixit Dominus, cum reliquis
de Dominica. 100. Capitulum. Char-
rissimi, Christus, ut supra. 485.
Hymnus. Ad regias Agni. 482.

V. Mane nobiscum Domine, alle-
luia. R. Quoniam advesperascit,
alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ego sum pastor bonus, qui pasco
oves meas, & pro ovibus meis pono
animam meam, alleluia.

Oratio. Deus, qui in Filii tui,
ut supra.

Deinde de Cruce, Antiphona.
Crucem sanctam subit, qui infer-
num confrēgit, accinctus est po-
tentia, surrexit die tertia, alleluia.
V. Dicite in nationibus, alleluia.
R. Quia Dominus regnavit a ligno,
alleluia. Oratio. Deus, qui pro
nobis, ut supra.

FERIA SECUNDA.

Ad Matutinum, Invitatorium.
Alleluia, alleluia, * alleluia. Psalm.
Venite, exultemus. 1. Hymnus
Rex sempiternus, ut supr. 482.
Antiphona & Psalmi de Psalterio.

De

De Actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap. 15. d.

Surrexerunt autem quidam de
heresi Pharisæorum, qui credi-
derunt, dicentes: Quia oportet cir-
cumcidi eos, præcipere quoque ser-
vare legem Móysi. Conveneruntque
Apostoli, & seniores videre de
verbo hoc. Cum autem magna con-
quisitio fieret, surgens Petrus dixit
ad eos: Viri fratres, vos scitis quó-
niam ab antiquis diebus Deus in no-
bis elégit, per os meum audire Gen-
tes verbum Evangélii, & credere. Et
qui novit corda Deus, testimoni-
um perhibuit, dant illis Spiritum sanc-
tum, sicut & nobis, & nihil discrē-
vit inter nos & illos, fide purificans
corda eorum. Nunc ergo quid ten-
tatis Deum, imponere jugum super
cervices discipulorum, quod neque
patres nostri, neque nos portare
potuimus? Sed per gratiam Domini
Jesu Christi credimus salvari, quem-
admodum & illi. Tacuit autem om-
nis multitudo: & audiebant Bárna-
bam, & Paulum narrantes quanta
Deus fecisset signa, & prodigia in
Gentibus per eos.

R. Virtute magnā reddēbant Apó-
stoli, V. Testimoniū resurrectionis
Jesu Christi Domini nostri, alleluia,
alleluia. V. Replēti quidem Spiritu
sancto loquebantur cum fiducia ver-
bum Dei. Testimoniū.

Lectio ij.

ET postquam tacuerunt, respón-
dit Jacobus, dicens: Viri fra-
tres, audite me. Simon narravit quem-
admodum primum Deus visitavit su-
mere ex Gentibus populum nomini
suo. Et huic concórdant verba Pro-
phetarum, sicut scriptum est: Post
hæc revertar, & reedificabo taber-
naculum David, quod decídidi: &
diruta ejus reedificabo, & erigam
illud: ut requirant cæteri hominum
Dominum, & omnes gentes, super

quas invocatum est nomen meum,
dicit Dominus faciens hæc. Notum
est sæculo est Dómino opus suum.
Propter quod ego judico non in-
quietari eos, qui ex Gentibus con-
vertuntur ad Deum, sed scribere ad
eos ut abstineant se a contaminati-
onibus simulacrorum, & fornicatio-
ne, & suffocatis, & sanguine. Mõys-
es enim a temporibus antiquis ha-
bet in singulis civitatibus qui eum
prædicent in synagógis, ubi per om-
ne sabbatum légitur.

R. De ore prudētis procédēt mel,
alleluia: dulcedo mellis est sub lin-
gua ejus, alleluia: V. Favus distil-
lans labia ejus, alleluia, alleluia.
V. Sapientia requiescit in corde ejus,
& prudentia in sermone oris illius.
Favus. Gloria Patri, Favus.

Lectio iij.

Tunc placuit Apóstolis, & senio-
ribus cum omni Ecclesia, eli-
gere viros ex eis, & mittere Antio-
chiam cum Paulo, & Bárnaba, Ju-
dam, qui cognominatur Barsabas,
& Silam viros primos in fratribus,
scribentes per manus eorum. Apó-
stoli & seniores fratres, his, qui
sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Cili-
cie fratres ex Gentibus, salu-
tem. Quoniam audivimus quia qui-
dam ex vobis exeuntes, turbaverunt
vos verbis, evertentes animas
vestras, quibus non mandavimus
placuit nobis collectis in unum, eli-
gere viros, & mittere ad vos cum
charissimis nostris Bárnaba, & Pau-
lo, hominibus qui tradiderunt ani-
mas suas pro nomine Domini nos-
tri Jesu Christi. Misimus ergo Ju-
dam, & Silam, qui & ipsi vobis ver-
bis referent eadem. Visum est enim
Spiritui sancto, & nobis nihil ul-
tra imponere vobis óneris quàm
hæc necessaria: ut abstineatis vos
ab immolatis simulacrorum, &
sanguine, & suffocato, & forni-

Hh 4

cā-

catione, à quibus custodièntes vos, benè agètis. Valète.

Te Deum laudamus 13.

Ad Laudes, Antiphona. Allelúia. Psalmus. Dóminus regnávít, cum reliquis Antiphonis & Psalmis de Psalterio, ut in Dominica 14.

Capitulum. Rom. 6. b

Christus resúrgetis ex mórtuis, jam non móritur, mors illi ultrà non dominábitur. Quòd enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel: quòd autem vivit, vivit Deo.

Hymnus. Auróra cælum purpurat. V. In resurrectione tua. 487.

Ad Benedictus, Antiphona. Eúntes in mundum, allelúia, docète omnes Gentes, allelúia.

Oratio. Deus, qui in Filii tui, ut supra. 486.

Ad Vesperas, Añ. Allelúia. Psalmus. Diléxi, cum reliquis de Psalterio, 103. sub una Añ. Allelúia. Capitulum. Rom. 6. b

Christus resúrgetis ex mórtuis jam non móritur, mors illi ultrà non dominábitur. Quòd enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel: quòd autem vivit, vivit Deo.

Hymnus. Ad régias Agni dapes. V. Manè nobiscum, ut supra. 482.

Ad Magnificat, Antiphona. Pastor bonus animam suam ponit pro óvibus suis, allelúia.

F E R I A T E R T I A.

De Actibus Apostolorum. Lectio j. Cap. 17. e & 18.

Sans autem Paulus in medio Areopági, ait: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video. Præteriens enim, & videns simulacra vestra, invèni & aram, in qua scriptum erat: Ignóto Deo. Quòd ergo ignorantes cõlitis, hoc ego annúntio vobis. Deus, qui fecit mundum, & omnia que in eo sunt, hic cœli & terræ cum sit Dóminus, non in manufactis templis

hábitat, nec manibus humanis cõluntur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, & inspiratióem, & omnia: fecitque ex uno omne genus hóminum inhabitare super univèrsam facièm terræ, definiens statútá tẽpõra, & tẽrminos habitatiõnis eõrum, quærere Deum, si fortè attrèctent eum, aut invèniant, quamvis non longè sit ab unoquoque nostrum.

¶ Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperite librum, & sòlvere septem signácula ejus: Allelúia, allelúia, allelúia. Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & glóriam, & benedictiõnem. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio ij.

I n ipso enim vivimus, & movemur, & sumus: sicut & quidam vestrorum Poëtarum dixerunt: Ipsius enim & genus sumus. Genus ergo cum simus Dei, non debemus aestimare auro, aut argénto, aut lapidi, sculpturæ artis, & cogitatiõnis hóminis, divinum esse simile. Et tẽpõra quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annúntiat hominibus, nunc annúntiat penitentiám agant, ut omnes ubique penitentiám agant, eò quòd stáruit diem, in quo judicáturus est orbem in aequitate, in viro, in quo stáruit, fidem præbens omnibus, súscitans eum à mórtuis. Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: Audiémus te de hoc iterum. Sic Paulus exívit de medio eorum.

¶ Ego sum vitis vera, & vos palmi-tes: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, allelúia, allelúia. Sicut diléxit me Pater, & ego diléxi vos. Qui manet, Glória Patri. Qui manet.

Lec-

Lectio iij.

Quidam verò viri adhærèntes ei, crediderunt: in quibus & Dionysius Areopagita, & mülter nómine Dámari, & alii cum eis. Post hæc egressus ab Athénis, venit Corinthum: & invèniens quemdam Judæum nómine Aquilam, Pónticum genere, qui nuper vénerat ab Italia, & Priscillam uxórem ejus (eò quòd præcepisset Cláudius discèdere omnes Judæos à Roma) accessit ad eos. Et quia ejusdem erat artis, manebat apud eos, & operabátur: (erant autem scenofactoriæ artis.) Et disputabát in synagoga per omne sabbatum, interponens nomen Dómini Jesu, suadebátque Judæis & Græcis. Te Deum laudamus. 13.

Ad Benedictus, Antiphona.

Eúntes in mundum docète omnes Gentes, baptizantes eos in nómine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, allelúia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Mercenarius autem, cuius non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, & lupus rapit, & dispèrgit oves, allelúia.

F E R I A Q U A R T A.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap. 20. d

Milèto Paulus mittens Ephesum, vocávit Majores natu Ecclésiæ. Qui cum venissent ad eum, & simul essent, dixit eis: Vos scitis à prima die, quã ingressus sum in Asiam, quãlter vobiscum per omne tempus fœrim, sèrvians Dómino cum omni humilitate, & lacrymis, & tentatiõibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum: quomodo nihil subtráxerim utilium, quòd minus annúntiarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos, testificans Judæis, atque Gentilibus in Deum penitentiám, & fi-

dem in Dómino nostrum Jesum Christum. Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Jerusalem: quã in ea ventúra sint mihi, ignorans: nisi quòd Spiritus sanctus per omnes civitates mihi potestatur, dicens: quóniam vincula, & tribulatiões Jerosólymis me manent. Sed nihil horum véreor: nec facio animam meam pretiosiórem quam me, dummodo consimem cursum meum, & ministèrium verbi, quòd accèpi à Dómino Jesu, testificári Evangélium grãtiæ Dei.

¶ Surgens Jesus Dóminus noster, stans in medio discipulorum suorum, dixit: Pax vobis, allelúia, gavisi sunt discipuli viso Dómino, allelúia. Unà ergo sabbatorum, cum fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati, venit Jesus, & stetit in medio eorum, & dixit eis. Pax vobis.

Lectio ij.

ET nunc ecce ego scio quia amplius non vidèbitis facièm meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei. Quapropter contèstor vos hodièrni die, quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quomínus annúntiarem omne consiliùm Dei vobis. Attendite vobis, & univèro gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclésiám Dei, quam acquisivit sanguine suo. Ego scio quóniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcèntes gregi. Et ex vobis ipsis exúrgent viri loquẽntes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter quòd vigilate, memoriã retinẽntes: quóniam per triènnium nocte & die non cessavi, cum lacrymis monens unumquodque vestrum.

¶ Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio: etenim Pascha

cha nostrum immolatus est Christus: Itaque epulémur in Dómino, alleluia. *V.* Mórtnus est propter delicta nostra: & resurrexit propter justificationem nostram. Itaque. Glória Patri. Itaque.

Lectio iij.

ET nunc comméndo vos Deo, & verbo grátie ipsius, qui potens est edificare, & dare hereditatem in sanctificatis ómnibus. Argéntum, & aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ibi scitis: quóniam ad ea, que mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Omnia osténdi vobis, quóniam scis laborantes, oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Dómini Jesu, quóniam ipse dixit: Beatus est magis dare, quam accipere. Et cum hæc dixisset, positis genibus suis orávit cum ómnibus illis. Magnus autem fletus factus est ómnium: & procumbentes super collum Pauli, osculabántur eum, dolentes maxime in verbo, quod dixerat, quóniam amplius faciem ejus non essent visuri. Et deducebant eum ad navem.

Te Deum laudámus. 13.

Ad Benedictus, Antiphona.

Itē, nuntiáte fratribus meis, alleluia, ut eant in Galilæam, alleluia: ibi me videbunt, alleluia, alleluia, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona. Sicut novit me Pater, & ego cognosco Patrem, & animam meam pono pro óvibus meis, alleluia.

FERIA QUINTA.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j.

Respondit autem Paulus, (annuente sibi Præsídē dicere) Ex multis annis te esse judicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciám. Potes enim cognoscere, quia non plus sunt mihi dies quam duodecim, ex quo ascéndi adorá-

re in Jérusalem: & neque in templum invenerunt me cum aliquo disputantem, aut concúrsam facientem turbæ, neque in synagógis, neque in civitate: neque probare possunt tibi de quibus nunc me accusant. Confiteor autem hoc tibi, quod secúndum sectam, quam dicunt haresim, sic deservio Patri, & Deo meo, credens ómnibus, que in Lege, & Prophétis scripta sunt: spem habens in Deum, quam & hi ipsi expéctant, resurrectionem futuram justórum, & iniquórum. In hoc & ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, & ad hómines semper.

Christus resurgens ex mórtuis jam non móritur, & mors illi ultra non dominabitur: quod enim mórtuus est peccato, mórtuus est semel: Quod autem vivit, vivit Deo, alleluia, alleluia. *V.* Mórtnus est semel propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. Quod.

Lectio ij.

Post annos autem plures elegimósynas facturus in gentem meam, veni, & oblationes, & vota. In quibus invenerunt me purificatum in templo: non cum turba, neque cum tumultu. Quidam autem ex Asia Judæi, quos oportebat apud te præsto esse, & accusare si quid haberent adversum me: aut hi ipsi dicant si quid invenerunt in me iniquitatis cum stem in concilio, nisi de una hac solummodo voce, quã clamavi inter eos stans: Quóniam de resurrectione mortuórum ego júdicor hódie à vobis.

Surrexit pastor bonus, qui animam suam posuit pro óvibus suis, & pro grege suo mori dignatus est. Alleluia, alleluia, alleluia. *V.* Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Alleluia, Glória Patri. Alleluia.

Lectio

Lectio iij.

Istulit autem illos Felix, certissimè sciens de via hac, dicens: Cúm tribúnus Lysias descenderit, audiam vos. Jussitque Centurioni custodire eum, & habere réquiem, nec quemquam de suis prohibere ministrare ei. Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla uxóre sua, que erat Judæa, vocavit Paulum, & audivit ab eo fidem, quæ est in Christum Jesum. Disputante autem illo de justitia & castitate, & de judicio futuro, tremefactus Felix respondit: Quod nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accersam te: simul & sperans, quod pecunia ei darétur à Paulo propter quod & frequenter, accersens eum, loquebátur cum eo. Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Pórtium Festum. Volens autem gratiam præstare Judæis Felix, reliquit Paulum vincum.

Te Deum laudámus. 13.

Ad Benedictus, Antiphona.

Tu solus peregrinus es, & non audisti de Jesu, quomódo tradiderunt eum in damnationem mortis? alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Alias oves habeo, que non sunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient: & fiet unum ovile, & unus pastor, alleluia.

FERIA SEXTA.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j.

Cap. 25.

Festus ergo cum venisset in provinciam, post triduum ascéndit Jérusolymam à Cesareá. Adiecitque eum principes sacerdotum, & primi Judæórum adversus Paulum: & rogabant eum, postulantes gratiam adversus eum, ut jubéret perducere eum in Jérusalem, insidias tendentes ut interficerent eum in via. Festus autem respondit ser-

vári Paulum in Cesareá: se autem maturius profecturus. Qui ergo in vobis (ait) potentes sunt, descendentes simul, si quod est in viro crimem, accersent eum.

Virtute magna reddebant Apóstoli, Testimónium resurrectionis Jesu Christi Dómini nostri, alleluia, alleluia. *V.* Repleti quidem Spiritu sancto loquebantur cum fiducia verbum Dei. Testimónium.

Lectio ij.

Emoratus autem inter eos dies non amplius quam octo, aut decem, descéndit Cesareám, & altera die sedit pro tribunali, & jussit Paulum adduci. Qui cum perductus esset, circumsteterunt eum, qui ab Jérusolyma descenderant Judæi, multas, & graves causas objicientes, quas non poterant probare, Paulo rationem reddente: Quóniam neque in legem Judæórum, neque in templum, neque in Casarem quidquam peccavi.

De ore prudētis procedit mel, alleluia: dulcedo mellis est sub lingua ejus, alleluia: Favus disjillans labia ejus, alleluia. *V.* Sapientia requiescit in corde ejus, & prudentia in sermone oris illius. Favus. Glória Patri. Favus.

Lectio iij.

Festus autem volens gratiam præstare Judæis, respóndens Paulo, dixit: Vis Jérusolymam ascendere, & ibi de his judicari apud me? Dixit autem Paulus: Ad tribunali Cesaris esto, ibi me oportet judicari: Judeis non nóci, sicut tu melius nosti. Si enim nóci, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori: si verò nihil est eórum, que hic accusant me, nemo potest me illis donare. Casarem appello. Tunc Festus cum concilio locutus, respóndit, Casarem appellasti? ad Casarem ibis.

Te Deum laudámus. 13.

Ad